58

PAVLVS PP. V.

VNIVERSIS Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cæleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe nos voluit Deus, libenter ijs impartimur, quos pro ſua in Deum, & in proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis zelo animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus. Quo in genere cum Societatis Ieſu Religioſos habeamus, eosq; in primis, quos dilectus filius Claudius Aquauiua eiuſdem Societatis Præpoſitus Generalis hoc ipſo, & conſequentibus annis in diuerſas Chriſtianæ Reipublicæ Prouincias mittere conſtituit: Nos ſanè eorundem Religioſorum pietatem, atq; operam, eorumq; , ad quos illi mittendi erunt, Religionem, ac deuotionem ſpiritualibus gratijs fouere, atq; augere cupientes; eiuſdem Claudij Præpoſiti Generalis precibus humiliter nobis ſuper hoc porrectis inclinati, piamq; illius deliberationem, quantum cum Domino poſſumus, promouere volentes; De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi; Omnibus, & ſingulis dictæ Religionis Religioſis mittendis, & alijs vtriusq; ſexus Chriſti fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam benedictionem, per præſentes impartimur. Necnon de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, eiſdem verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum vnione, [illegible] hæreſum extirpatione, prout vnicuiq; ſuggeret deuotio, pias ad Deum preces effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium pro vna vice duntaxat concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac verbi Dei Prædicatores, vt in ſuis quiſque Eccleſijs apud Populum præſentes Litteras, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem illis fauorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quòd præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici, ſeu dictæ Societatis Secretarij ſubſcriptis, & Sigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ, ſeu Præpoſiti Generalis dictæ Societatis obſignatis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Præſentibus ad quadriennium proximum valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die octaua Ianuarij. M. DCVIII. Pontificatus Noſtri, Anno Tertio.

Scipio Cobellutius.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. M. D[illegible]I.

Ber. de Angelis Secret.

Aprovada del S. Comis.o General de la S.ta Cruz.da para publicarse dada en M.d a 7 de Julio de 1608 y an de tener todos la bulla de la santa Cruz.da p.a ganar esta indulgencia.

Hern.do murillo ser.o

18 36 59

Jubileo de miss 8 — mariscum

[redacted]

... auctoritate Apostolica ... praesen-
... Hermanus Venetus ... fratres nostros,
... Prelatos, & Respo-
... praesentes Literas ...
omnia ... & auxilium ...
praemissis ... sententiam tran-
sumptis manu ... Sigillo alicu-
ius personae in dignitate ... Generalis dicti ... fides pror-
sus eadem ... exhiberetur, si forent exhibitae ...
Praesentibus ... Datum Romae apud Sanctum Petrum sub
Annulo Piscatoris, die octaua Ianuarij, M. DCVIII. Pontificatus Nostri, Anno Tertio.

Jubileo [illegible]

Scipio Cobellutius.

ROMAE, Ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae. M. DCVIII.

[illegible]